T. PFANNERI
Consil. Aul. Sax.
Responsum
ad
Cæsaris Bonamici
EPISTOLAM
Arcanorum Pacis Westphalicæ
Vindicem.

Martin. Dumiens. de Morib.

Multi, cùm aliis maledicunt, sibi ipsis convicium faciunt.

GOTHÆ,
Sumptibus JACOBI MEVII.
cIↄ Iↄc XCIX.

NOndum improbitatis, nondum calumniarum, nondum proterviæ finis eſt. Vix nuperâ moleſtiâ Reſponſi Ludoviciani hactenus ſaltem defuncto obvenit *Cæſaris Bonamici ad Burckardum Philalethen Epiſtola, Arcanorum Pacis VVeſtphalicæ Vindex*; Si ſtylum ſpectes, horrida, incomta, intricata, obſcura, adquam, lectu ne ſemel quidem dignam, vicenaria lectione opus ſit lectori, ex dumetis, vepretis, atque ſenticetis iſtis eluctari atque expedire ſeſe cupienti; Sin ipſum ſcribentis inſtitutum animumque intueare, truculenta, immanis, atrox, calumniatum atque conviciorum plena, ad rabiem denique usque ita efferata atque compoſita, ut nihil modeſtiæ, nihil pudoris, imò ne ſanæ quicquam mentis retinere aut ſpeciem ſaltem ſervare voluiſſe cenſeri queat latitans ſub *Cæſaris Bonamici* nomine, ſuaque adeò fretus caligine perſonatus Tenebrio.

Iterum mentem ſubiit mirari Numinis ſapientiam, ita res noſtras diſpenſantis

 ordi-

ordinantisque, ut improbitatem aliorum, nostros ad usus versurus (quæ divinæ bonitatis, ut ita dicam, solertia est) gloriæ quam eruditionis opinione sibi comparare adeò misere student atque annituntur plerique literatorum, futilitatem præsentius ostentaret, atque experiretur voti nostri in injuriis sive tolerandis, aut non supra modum necessitatis vindicandis saltem, constantiam. Et verò difficile, fateor, est, non uti licere ingenio suo, atque satyram non scribere in hominem, quicquid satyrarum atque dicteriorum est, supergressa omnem modum malitiâ meritum. Ast retinendus erat ex defensione modus, eaque tuendæ (quantum per imbecillitatem licebat) existimationis nostræ in eunda ratio, qualem haud absque venia expediri posse, non desperare liceret.

Augebant difficultatem callidi hominis artes, ficto nomine ita sibi caventis, ut vulpeculæ (leonem quidem unguibus saltem simulanti) è fovea sua proripiendi sese recipiendique facultate integra, ipse sine periculo lacesseret hominem, in aperta area collocatum.

Dubites equidem, utrum miserearis, rideas ne, aut abomineris improbi pariter atque misElli hominis nequitiam, stoliditatem, atque vesaniam, qui in aciem hactenus saltem prodire ausus, ut probris

 scom-

ſcommatibus, conviciis adverſarium invaderet atque adoriretur, in aperto loco conſiſtentem, ipſe ne quidem ſtans poſt principia, ſed poſt carecta latitans, non alio magis munimine quàm latebris ſuis ſupra omnem orci galeam tutus; ita nempe egregiè, neque ullo ſui diſcrimine rem ſeſe, ex *ſuperiorum* nempe (ſi Diis placet) *juſſu*, ſeſe geſtarum patraturumque arbitratus, ſi vitata cominus pugnandi neceſſitate, hominem adeò ſibi inviſum nullo ſui aggrederetur periculo, Parthorum more fugiens jaceret atque infigeret ſpicula, (tota infecta veneno) ingereret probra, putidisſimas comminiſceretur fabulas, totam bilis ſuæ moveret Camarinam βοϱβόϱῳ denique ſuo utramque impleret atque conſpurcaret Epiſtolæ ſuæ paginam, ſtercorarius heros noviſſimus extremi ſeculi Borborita atq; Hierophantes, Cloacinâ ſuâ digniſſimus. Et verò quid aliud auderet ageretve homuncio, Gigantem miſerè ſimulans oſtentansque, quàm ut iſto armorum genere uteretur, plus quàm Vatiniano inexæſtuans odio; pugnans contra nos *ut bos cyprius* (agnoſcat floſculos atque elogia ſua bonamicus noſter) *ut ab inferis excita furia, ut malitioſus vitiligator, ut ineptiarum ſarcinator, ut calumniarum promicondus, convitiorum egregius hamaxarius*. P. 6.

Persuasum scilicet sibi habebat *miseri hui* (imo gravissimo atque pestilenti Bonamici nostri, impurissimi oris viri) *difflari halitu*, atque ad ictus umbratiles hominis, omnium hominum obscurissimi, subrui atque pessum dari posse totam nostræ existimationis qualiscunque machinam, ipsiusque ex sententia aboleri famam, tot lustrorum spatio atque vetustate firmatam, omnes denique, qui de nobis nostrisque sensere adhucusque præclarius, ignoti hominis ex nutu atque lubidine mutaturos atque retractaturos sententiam, Apollinis nempe hujus (sive Midæ Apollinem agentis) indicio monitos, quantum in nobis nostrisque, P. W. præsertim historia, adprobandis laudandisque à recto judicio aberrassent.

Martin. Dumiens. de Morib.

Hoc nimirum *habet omnis affectus, ut in quod ipse insanit, in id putet etiam cæteros furere.* Ita homines stolidi suo ex ingenio atque affectu alios judicant, atque id persvasum sibi habuit Bonamicus noster, odio adversus nos suo occupatus deceptusque, facili nimirum credulitate ad vota atque gaudia sua Germanorum insuper proverbio fretus; stultum facilè nancisci comites atque asseclas stultos sibi nempe similes (Ein Narr mache Zehn Narren) Ast nihil ex eo nobis historiæque damni, nihil pericu-

riculi. Neque enim unius asini maxillâ (quacunque vibrata impactaque manu) semper occumbunt Palæstini, neque cujuscunque buccinatoris ad stridorem Hierichuntis nostræ concidunt mœnia. Irridebunt potius atque execrabuntur viri eruditi, cordati, atque probi, hominis nequitiam vecordiamque, suo ex arbitrio famam nostram ipsorumque de nobis judicium atque sententiam pendere arbitrantis.

Interim (ut redeat eò unde digressa paululum est oratio) quisnam hominum sit Bonamicus iste, nec nunc quidem nobis compertum est. Non ipsum esse, qui Arcana Pacis Westphalicæ (litis hujus atque molestiarum materiem) evulgavit, ipsa indicat aut saltem persvasum aliis vult autor Epistolæ. Et facilè crediderim, non convenire petulantiam vecordiamque, totâ extantem Epistola in Editorem quem C. . . . . . . esse, quondam Nassoviorum Sigenæ familiæ, nunc Aulæ M. Consiliarium, post publicatam demùm nostram Epistolam, indicio viri, dignitate atque eruditionis fama insignis didicimus. Neque verò C. quantum vis cetera ignotissimum nobis, aulis adsvetum, suspicari fas est, eâ laborare vesania, ut *Archivarii* titulo suo ausu compellandum censeret Consiliarium Aularum Saxonicarum, non sanè ipso dignitate inferiorem (de celebri-

tate jam atque gloria nihil contendimus)
& quem *Scribæ* M. titulo ulciſci, eodem li-
ceret jure; niſi non eadem Saxonum in
M. quæ M. adverſus Saxones conferenda-
rum dignitatum aut effingendorum, refin-
gendorumque titulorum poteſtas eſt. Aſt
miſſa hæc facimus, jam nuper adverſus ali-
um tractata uberius; in quem quicquid
diximus, ſibi quoque Bonamicus, (quis-
quis is ſiet hominum) dictum exiſtimet.
Totam denique iſtam conviciorum, ſcom-
matum, mendaciorum, atque calumnia-
rum ſentinam atque congerien non ab ipſo
C. imo ne ex juſſu quidem hujus, monitu,
inſtinctuve, profectam eſſe, ſperamus, &
quoad ipſe aliud ipſa nominis profeſſione
jubebit, confidimus; rogitantes tantiſper
iterum atque iterum, ut ne (ſi ipſe non eſt
Bonamicus, aut Bonamici fautor inſtin-
ctorve) eorum, quæ in Bonamicum dicta,
ad ſeſe quidquam pertinere arbitretur.

Et verò impactus *Archivarii titulus*,
malitioſa atque fraudulenta ſuggillatio, ipſo
in limine ab homine, irarum ſuarum im-
p. 4. potente, effuſa, objectus *per Epiſtolas im-
merentes* (Bonamici nempe judicio) *ſuggil-
landi pruritus*, *ſenectus* (nondum ita id
merenti) exprobrata, quin ipſa librorum
noſtrorum, imò Epiſtolarum notitia, at-
que anxius in carpendis iſtis labor, alia de-

ni-

nique ejusdem furfuris, talia mihi aliisque videbantur ut non profecta ab homine M. sed aliis ex lacunis aut profluxisse aut hausta saltem suspicari liceret.

Et firmavit suspicionem relatio *Bibliopolarum*, post finitas demum nundinas Lipsienses novissimas, Epistolam istam sibi obvenisse, quamvis ad velandam fraudem III. Calend. Septembr. clↄ Iↄc XCVIII. atque (Franckofurti prælo excusa) de Colonia mentiatur.

Superiorum equidem *jussibus se adstrictum*, & quamvis ab aliis monitum, *caveret, ne arduis sese subtrahendo, æstimandoque, quæ infra ipsius sint dignitatem, in obscuro hoste gloriam suam protereret, ad respondendum, coactum* sese, videri vult Bonamicus; idoneus nimirum habitus, cui maledicendi præ aliis mandaretur provincia. Huic scilicet committendum erat, si *duro strigili* alii, quorum id intererat, quenquam depexum vellent. p. 5. 6.

Sed quàm facilè est, hominem nullius nominis, & quis demum is fiet, quo agat loco, qua utatur conditione, fortunâ, famâ extra pomoeria sua nemini forsan mortalium conscio; jactitare superiorum jussa, præse ferre, nescio quam, dignitatem, atque de ipsa gloriari gloria, non dignitatis ullius, non celebritatis cujusquam,

hominum omnium fortè novisſimum, atque ad maledicendum non conductum, ab aliis, ſed ſuo concitatum, (quibuscunque excauſis, quave occaſione,) ingenio. Non ſanè ejusdem cum C. dignitatis eſſe conjectare licet Bonamicum, ſi rem ſua magnitudine viſam indigniorem alii (mi-
p. 8. norum utique gentium) iſte delegandam putavit. De gloria ſua ſtolidè gloriatur, inſolentiſſimus tenebrio, nosque, tanquam exalto, ridiculo ſupercilio deſpectat, niſi *Syſtemati* noſtro *Theol. Gentilis*, libello noſtro de *Catechumenis*, *Obſervationibus Eccleſiaſticis*, *Hiſtoriæ Comitiorum* ipſiusque, cujus tanto flagrat odio, *Pacis VVeſtphalicæ* paria feciſſe ſeſe oſtenderit. Quid dico paria? imò majora multò, atque præſtantiora patraſſe neceſſum eſt, ſi tantæ ſuperbiæ menſuram impleviſſe cenſeri velit. Alioquin quis ferat hominem, nullis aut non multo majoribus navatæ orbi erudito operæ documentis inſignem exlatibulis ſuis dignitates ſuas celebritatemque jactantem, ſuamque aliis, neutiquam ignotis, exprobantem obſcuritatem? Sed lateat, quantum vult, atque fruatur umbratili gloriâ, *jacens in tenebris ſuis* Cæſar Bonamicus, latebris atque caligine, quam pro munimento habet, gloriâque, nemini mortalium notâ, digniſſimus.

Ini-

Iniquam interim atque inæqualem pugnæ conditionem esse, nemo negaverit, nobis in aprico constitutis, adeoque ad ictus adversarii patentibus, congredi cum hoste, obscuro, ignoto, ipso à teli jactu immuni, prorumpente ex insidiis atque inde recipiente sese ad latibula sua, latrocinii denique, non justi belli ad formam, atque supra omnem sævitiæ modum grassante? Sunt, quibus abstinere etiam Principes populosque armis suo jure decertantes, gentes moratiores communi suffragio scituque sanxere. Ita veneno cæde per sicarios patranda, imò & incendiis aut populationibus nimiùm sævire, censuere, esse hominum, nihil ad sese humanitatem pertinere, præsertim quando cum hoste agatur, putantium. Et verò reipublicæ literariæ ejusque civium inter est, abominari pessimorum hominum in exercendis inimicitiis crudelitatem atque nequitiam, neque (quantum in ipsis situm est) pati, crescere nocendi artes, in immensum, nisi cohibeantur sistanturque, progressuras, gnaros, injuriam semper petere ulteriora, in alios subinde incurrere. Et sine dubio execrabuntur viri cordati hominis impudentiam atque malignitatem, in hominem honestum, neque dignitate penitus famaque destitutum, tantâ, & quidem per insidias grassantem proterviâ. Et verò quæ

tuta

tuta sit ab improborum hominum insultu aut vitæ morumque innocentia, aut qualiscunque celebritas, si promiscua impetendi, lacessendi, sæviendique ex occulto, etiam obscurissimis hominibus, tenebris nempe suis defensis, licentia sit? Ast verò odio tantum atque aversatione ceterorum in tales animadverti posse, haud ignari, levius toleramus sortem, etiam maximis cum viris communem; ne hac quidem fortunæ parte humani quidquam alienum à nobis arbitrantes, imò arrogantiam rati recusare aut intolerantiùs ferre conditionem à qua immunes viros maximi meriti nominisque ne summa quidem fortuna aut celebritas præstitit.

Cæterum, nunquid responderemus, & quam iniremus respondendi rationem, aliquandiu in incerto judicium fuit Quam enim sine errandi discrimine ingredere-
p. 7. mur viam, quis esset Bonamicus, quis editor Arcanorum (plures enim esse innuit Bonamicus noster) quis Auctor, à quibus deniq; aut unde peteremur, ignari partim, partim incerti atque dubitantes Placuit tandem, iter tenere inter responsionem periculosam atque deforme silentium medium, uti omissis iis, quæ ad Editorem Auctoremque, adeòque ad ipsam, qua de agitur, causam pertinent, ad illa ne quidem nos responsuros, publice significaremus,

prius

prius quàm de Editore Arcanorum eorumque vindice (ne de auctore quid dicam) certo nobis constitisset. Quid enim, si occasione atque defensionis quadam necessitate incideremus in insontes, non facinoris Bonamici conscios, neque conjurationis istius populares. *Id* quod equidem

Ithacus velit, & magni mercentur Atrîdæ.

Cognitu igitur nobis opus est (atque opus esse quivis non iniqvus talium arbiter agnoscet) cujus nominis, dignitatis, atque conditionis, Auctor, Editor, Vindex Arcanorum sit, præsertim suopte ingenio, atque ausu, an Editoris jussu, instinctu, monitu, turpe istud maledicendi munus iste subierit.

Ne tamen sine responso penitus dimitteremus, pauca dicenda putavimus. Omittimus convicia, probra, queis ferè tota consuta est Epistola Bonamici, *sanctioris* scilicet *vitæ*, *instituti*, *castioris mentis*, *animi*, *styli atque literas immodicè aculeatas*, *insatiabile carpendi cacöethes*, *invidiosam sugillandi licentiam*, *libertatis scribendi cum sale*; *nunquam non toto pectore horrentis abominantorisque* egregiè officio suo sese perfunctum arbitrati si, quam sive jussu aliorum, sive suapte sponte adornandam ageadamque suscepit, impudentissimè peregisset fabulam, scurra inficetus, atque *Agyrtarum*, p. 6.

rum,

rum, quotquot histrioniam unquam in foro
p. 6. exercuere, *vilissimus*, referens, (ex relatu nempe *Viri* M, ast *in aurem* ista insusurrantis, pudore nempe putidissimi mendacii) ineptissimas de libris nostris nænias, insulsas, frigidas, atque irrisu sibiloque quàm
p. 8. applausu digniores. Pudere debuerat hominem, si non in dignitate gloriaque constitutum, dignitatem tamen gloriamque (ex obscuro quidem) ostentantem, ineptiarum, quarum etiam puderet hominem quemvis non abjectissimum, pudorisque non planè præmortui.

p. 3. *Nulla* nos *parte læsos*, (ita accusationem suam orditur Bonamicus) *nulla provocatos injuria*, *in innocentissimum tamen infrunita debacchatos licentia*, *atque scommata*, *plena jecisse injuriæ*, queritur atque incusat. Ast vero cui, Epistolam nostram cum Epistola Bonamici conferenti, non pateat, quæ nobis publicandæ Epistolæ occasio, causa, atque ratio, quanta, saltem Epistolæ Vindicis comparatæ, modestia fuerit? Sæviendi, debacchandi, quantam denique posset exercenti rabiem, animum atque institutum disertè professi? Et quidem ipsa inscriptione *Arcanorum Pacis VVestphal. sive plenioris atque ex Secretioribus Actis & congressibus depromptæ Relationis Historicæ*, adjuncta insuper ejus præfatio.

fatione, nostram peti historiam, illico advertêrunt viri literati, taliumque minimè imperiti, primo inscriptionis intuitu. Et namquid suspicio nos istosve fefellerit, aliorum judicium sit. Adversus Editorem nihil acerbius diximus, quàm Agyrtarum id esse, merces suas suo præconio commendantium. *Et fortean non quantivis pretii* istum esse, diximus. *Fortean* inquam. Neque enim certum quid de pretio statuere fas erat hominis, de quod quis, quantusve esset, omnium ignarissimis. Sed qualiacunque ista sint (quorum tamen nos aliquantum pœnituisse, cognito, quantum licuit, Editoris nomine, jam nuper (antequam Bonamici ad nos pervenisset Epistola) professi sumus. Qualiacunque, inquam, ista sint, quis, quæso, æquior rerum arbiter neutrique partium addictus, tantum irarum, conviciorum, scommatumque, queis tota Vindicis constat Epistola, mereri ista potuisse censuerit? Sunt quædam officia etiam adversus eos servanda, à quibus injuriam acceperis. *Est* enim *ulciscendi & puniendi modus*. Atque *crudeles sunt, qui puniendi causam habent, modum non habent*. *Possunt enim* Aristide judice, possunt inquam, *etiam qui se vindicant, injusti esse, si modum excedant*.

Verùm *candida* (ita porro Bonamicus noster)

p. 3. noster) *ingenuæ, imò prudentis animæ fuerat, si justis ex causis existimationem nostram credidisſemus læsam, in impresſi operis circumstantius scrupulosa sollicitudine inquirere, atq; ubi eas exactius expiscati essemus decuerat, imminuendi honoris suspectos monere literis, honori consulerent, operi præjudicaturum infercirent nihil, ubi monitum æquitate nixum attendere renuerint, famæque, pari cum vita passu ambulanti, vix delendam inusſerint maculam, vindicias satis acerbas fore paratas: Et hoc spreto* (fatetur) *difficile fuisse, censoria abstinuisse virgula, satyram non scripsisse, aut inglorio consenescere silentio voluisse.* Benè sanè! Et est, cur Bonamico nostro, quantumvis inimicisſimo nobis, atque nolenti, magnas habeamus gratias. Satyræ enim scribendæ disſertè satis nobis indulget licentiam, aut veniam saltem pollicetur, si inglorio consenescere ad injurias nostras noluisſemus silentio, modò antequàm molestiæ quidquam nobis crearetur, ne id fieret, monuisſemus. Quod sanè si fieri non potuit, Epistolæ nostræ etiam apud Bonamicum paratam nobis merito speramus gratiam. Sed quî, quæso, fieri potuerat, ut imminuendi honoris suspectos moneremus literis, *operi præjudicaturum infercirent nihil*, opere jam impresso atque publi-

publicato, reque adeò minimè amplius integra? Id quidem post Arcana ista divulgata curæ nobis fuit, noscere, quis istorum autor, quis Editor esset, quo magis teneremus in tuenda nostra historia modum. Ast diu frustra consumtâ industriâ atque appropinquante mercatu Lipsiensi, sui copiam facere permisimus Epistolæ nostræ, postquam demùm publicatam nobis (nescio an certò satis) innotuit, cujus curâ Arcana ista prodiissent.

Post hæc nobis objectat inordinatam *φιλαυτίαν teterrimam istam erectiorum ingeniorum* (ita Bonamicus noster, instituti, quod mirere, atque odii adversus nos sui, ipsâ præ odii magnitudine atque impotentiâ immemor) *arrogantem, procacem, inverecundam, seipsam exaggerantem, consectantem novitates, dissolutam licentiam amantem, alienæ impatientem laudis, unicè ab omnibus laudari & in omnium ore versari cupidam, Κακοζηλίαν, nil denique omni conatu quærentem magis, quàm quæ intellectus petulantiæ atque intemperantiæ satis facere, ostentationisque ac populari plausui deservire possunt.* Grandia utique atque digna (si ita res sese habet) animadversione crimina? Ast verò impudentissimè mentiri Bonamicum nostrum, certum est. Conquirat is, si vir est, p. 3. 4.

B vel

p. 8. vel qualiacunque inlibris tantùm ipsi memoratis arrogantiæ istius ambitionisque usurpatæ aut obtrectatæ laudis aliena vestigia. Ostendat, inquam, aut turpissimè sese mentitum, saltem suo fateatur silentio. Neque gloriam id suam dignitatemque, quantacunque ista sit, dedecere arbitrabi-
p. 14. tur Bonamicus; nihil infra fastigium suum esse ratus, errores sive librariorum, sive quandoque auctoris in curiâ irrepere aut excidere solitos, etiam per Epistolas pudendâ conquirere industriâ syllabarum auceps malè feriatus, atque (dignus Domitio successor) ex conquisitis confixisque muscis triumphator mustaceus; qualium equidem etiam ex Epistola nostra, adeò invisa ipsi, copia suppetere poterat.

p. 8. Quæ de *tribunali Vinariensi*, *de Jove Thuringico*, *Monarchia chartacea Solipseitate soliscia*, *Prætura censoria*, *Totatu* denique *Pfanneriano* garrit, vana itidem sunt, futilia, imo talia, quæ in nos ne per ludibrium quidem atq; irrisum conveniant, atque nobis (rerum nostrarum consciis) ne in mentem quidem venire potuerant.

De historia nostra Arcanis comparata nihil nunc dicere, nobis in animo est. Ea
p. 10. tantum exparte monenda quædam erunt, quæ ad historiam quidem nostram, nihil tamen ad *ARCANA*, nihil ad Editorem, sed

sed tantùm ad Bonamicum ejusque calumnias pertineant.

Dicit is, nos inficias ire vix posse, *Virum*, ex quo potissimùm nostra hauseramus, Osnabrugæ tantùm commoratum, *uti loco ita Arcanorum* Monasteriensium *conscientiâ longè fuisse remotissimum*: En improbam Bonamici cavillandi solertiam! Haud inficias nos ire, Præfatione nostra diximus, Virum istum *uti loco ita conscientia Arcanorum istorum fortè fuisse remotum*. Ast nunquid eadem sunt, *Arcanorum conscientiâ fortè remotum*, atque *conscientiâ Arcanorum* istorum *fuisse longè remotissimum*? Et qua, quæso, ratione dici poterat vir tractationi Osnabrugensi destinatus, *conscientiâ eorum, quæ Monasterii agebantur*, *longè remotissimus*, urbis sane Osnabrugæ vicinæ & quò aliquando etiam commeavere Osnabrugenses utriusque Religionis, vergente præsertim ad finem tractatione, cujus tunc tota fermè moles, quantumvis refragantibus Austriacis atque Pontificiorum plerisque, redierat? Et tamen non pudit Bonamicum, hominem nempe extincti pudoris, nostris verbis dicere, *istum à conscientia Arcanorum illorum longè fuisse remotissimum*. p. 10.

Quòd *Motuum Truchsessianorum, electionis Episcopi Argentinensis, inter Pontificios atque Evangelicos Capitulares disceptatæ Ligarum atque Unionum, tumultuum Bohemicorum,* p. 11.

Edicti Ferdinandini inter causas belli, dequo componendo Monasterii atque Osnabrugæ laborabatur, non uberiorem mentionem fecerit Arcanorum auctor, non ipsi vitio vertimus. Ad Editorem tantùm ista spectabunt, *ex cujus ingenio atque Officina* [en ipsa nostræ Epistolæ verba] *ista prodiisse* [quo jure quave injuria] suspicabamur, *alieno operi, ut nobis ægrè faceret, sua attexentis, ut impertinenter* talia à nobis adducta esse sub obscura atque insidiosa criminatione argueret. Quæ sanè inter occasiones, causas atque præludia tumultuum istorum, queîs pacandis belligerantes, eorumque causæ, partibus, studiisque connexi Monasterii atque Osnabrugæ tunc occupabantur, certissimum est. Ut adeò *impertinenter* ista aut ἀπροσδιονύσως memorata à nobis, eandemq; horum, quàm motuum rusticorum conditionem esse, [ad causam religionis nihil penitus spectantium] atque hos istis annumerari potuisse, non nisi stultus, rerum imperitus Germanicarum, Bonamico denique nostro similis dixerit. Et *sua intentioni sufficere potuisse, si ista generaliter* tantùm *induceret*, ipse âdvertit *Arcanorum* Auctor, doctior sanè atque prudentior Vindice suo talium arbiter. Quin quod cuncta ista originem suam ex Religione unde traxerint, [nimirum tanquã per gradus ad funestissimum bellum, perventum]

ipse

p. 11.

p. 12.

lib. 1. c. 1. p. 1. 2.

ipſe Bonamicus [nobis quidem imperando] agnoſcit.

Et putidus eſt Bonamici ſtupor, aut malitia pudenda, noſtra aut non intelligentis aut depravantis, *Lutherum* nempe *inter primas belli cauſas* [noſtra ex ſententia] *non referri* debuiſſe. Ex diſſidio religionis tantum promanaſſe turbarum, quis quæſo, negaverit? Iſtud tantum monuimus, non A. 1517. id molitum aut etiam animo agitaſſe Lutherum, ut aut ipſe Rom. Eccleſiæ mitteret nuncium, aliisve divortii iſtius Auctor exiſteret. p. 12.

Quæ de *centonibus ex Seckendorfio, Lundorpio, Caraffa, Theatro Europæo, Memoriis Anonymi, & Forſtneri ad Scaligerum epiſtolis alioque* neſcio quo *auctore compilatis* blaterat Bonamicus frivola, ſunt atque inania, non niſi hominis miſerè invidiâ irâque adverſum nos exagitati argumenta. Nunquid enim nobis noſtro ex ingenio comminiſci licebat hiſtorias, aut in componendis iis non uti, quæ ad manus erant, ſubſidiis? Quibus equidem quanto quis inſtructior ad ſcribendum accedit, eò ad ſcribendum, omnium judicio, cenſetur magis idoneus. Et laudavimus ad marginem, ipſaque in Præfatione quorum ea in re operâ uſi ſimus. Quam tamen ſubſidiariam tantum atque ſi totam ſpectes hiſtoriam, exiguam fuiſſe, ne ipſe quidem Bonamicus, quantumvis nobis noſtrisque infenſus, abnuerit. Lundor-

pium adjecimus, non quod ipsi ejus juvaremur operâ; sed eorum ingratiam quibus ipsa Scriptorum [queis res suas atque postulata invicem partes ex posuere] *formalia* [uti ajunt], atque in *extensa forma*, inspicere atque consulere lubet. Ad quæ nobis sane nihil Lundorpio opus fuit, Actis sive commentariis Legationis nostræ talibus abundè instructis. Atque Seckendorfii indicio nos indiguisse, ut emendatæ à Luthero Ecclesiæ primordia nosceremus, ne ipse quidem Bonamicus crediderit; talia nempe non animi ex sententia, sed irâ suâ atque malignitate adductus, effutiens.

Et verò molestia suâ cavere poterat stolidum *viri excelsæ doctrinæ* caput, Impen-
p. 8.
se cum Bonamico [digno scilicet patellâ operculo] dolentis, *tam obscurum caput tam nobilem nactum materiam*. Nunquid enim talia ita fiunt primùm occupantis, ut non etiam aliis, ingenii erectioris, acrioris judicii, industriæ majoris, eorum indidem invadendorum atq; occupandorũ pateat copia?

Historiam nostram multis *præconiis ornasse atque extulisse laudibus viros toto orbe cele-*
p. 19.
berrimos, certum est atque manifestum sive invidiâ rumpat Bonamicus, sive risu dissolvat ilia sua. Omittimus alios. Ipsâ in Cæsaris Aula, quamvis primùm aliquantum exosiorem, & forte proscriptam, re postea penitus inspecta pensitataque rectiùs, haud

exi-

exiguo in pretio habitam fuisse, non indicio tantùm Viri primariæ in aulis nostris dignitatis, etiam nunc superstitis, multos per annos ista in aula magni Principis legatione functi, [ringatur, frendeat, aut tabescat nimia livoris dolorisque impatientiâ Bonamicus noster] illustris *Paderskirchii*, legati Austriacæ Domus, Principum Curiæ Præsidis atque moderatoris, ipsiusque illustrissimi Comitis *Lambergii*, Legationis Austriacæ principis, editis partim ipsa in Curia, partim honorificis ad nos literis, præclarioris de nobis historiaque nostrâ sententiæ documentis invito quidem atq; verecundanti, non tamen falsò licet gloriari.

Neque etiam nostra aspernatus est G. F. *Buckischius* (nostræ quondam Religionis, postea Romanæ ad Ecclesiæ partes transgressus, adeòque nostris aliquantum infensior [uti solent, qui à suis descivere] *judiciosi auctoris* nos cohonestans appellatione, nostrisque etiam sæpius, atque ipsis quidem verbis per unam atque alteram paginam [auctore quidem non nominatim compellato] uti non dedignatus. ad J. P. Proem. Observ. 21.

Deum, Conscientiamque meam testem appello, ægerimè me ad jactantiam istam, aut jactantiæ saltem speciem usq; pervenisse. Ast Bonamici proterviâ eò delatos imò pertractos compulsosque agnoscent, queis à studiis partium integrum atque sincerum

 ju-

p. 7. judicium eſt. Viros tantùm Romanæ Eccleſiæ nominavi; quod *Editorem proteſtantium quippe ſacris non addictum, num Pfannerus aliquis ullo in orbis angulo hæreret, obſcurumve centonem compilaſſet, ignoraſſe* dicit Bonamicus noſter; qui (ipſe inquam Editor) quiscunq; is ſiet iſtis, Buckiſchio inquam, Paderskirchio atq; Lambergio ante haberi ſeſe non [ſpero] flagitabit. Et ſanè vix ignorantiæ rerum noſtrarum, auctorumque, qui tribus quatuorve ab hinc luſtris res Germanicas tractavere, effugerit notam aut ſuſpicionem, qui hiſtoriam noſtram P. W. iſtis frequentisſimè memoratam laudatamque neſcierit; qua equidem Editorem laboraſſe, à vero atq; fide nimis videtur alienum. Et quam ſtolidum eſt abſurdum ineptumque *obſcuri centonis* vocabulo deſignare hiſtoriam, quam tot ornaſſe præconiis atque laudibus extuliſſe viros toto orbe celeberrimos, ipſe fateare. Neq; etiam quidquam cauſæ eſt cur hiſtoriam noſtram averſentur aut ſpernant Romanæ Religionis proceres non noſtris utique quam ipſis æquiorem.

d. p. 15. Sed verò noſſe nos decuerat, [ita Bonamicus noſter] *centones magnis interdum Viris non ſperni, cùm melior veſtis non eſt.* Stulte! Nunquid enim idem eſt, re fortuito oblata inopiâ meliorum, contentum eſſe; atque
p. 15. tot *à viris toto orbe celeberrimis* [ita iterum Bonamicus] *ornatam præconiis atque laudibus*

bus in cœlum elatam fuisse. Et *magnorum virorum* nos, nescio quibus artibus *favorem aucupantes* aut *emendicatos citationem*, mentitur Bonamicus, iræ invidiæque *mancipium*. p. 16.

Objicit etiam Bonamicus, *propter obscuritatem ne dignam quidem habitam historiam* nostram, *quæ actibus* (*Actis* dicere debuerat) *quos Eruditorum vocant, insereretur.* Si P. W. historiam (uti quidem videtur) intelligit, Bonamicus facillima responsio est; bis eam in lucem prodiisse, quam Acta sua isti exordirentur. Cujus tamen fortuitam alibi fecere mentionem. Sin historiam Comitiorum innuit, res ita se habet. Obtulit eam *Ottoni Menneckenio* Societatis auctori atque principi celebratissimo, vir honestus, cujus ista impensis publicam lucem subierat, haud gnarus, pro eo, quam nunc merito suo in foro literario auctoritatem occupavere *Acta* ista vino etiam vendibili hac suspensâ opus esse hederâ. Laudavit opus imò magno in pretio habuit Menneckenius, atq; ipsum primùm recensioni admovisse manum nobis fide aliorum non levi sanè aut suspectâ, relatum est. Istud certum atq; ex *ipsius Jo. Burckhardi Freisteinii* [Causarum nunc in Aula Electorali Saxonica Patroni clarissimi] ore compertum mihi, ipsi, tunc Lipsiæ commoranti ipsi Menneckenium istam recensionis delegasse provinciam. Ast paulo post, nimiam adversus ipsam Cæsaris p. 15.

 Au-

Aulam,Svecos, atq; Electorum præsertim Prærogativas, [Principum nempe ordini molestiores] usurpatam libertatem causatus, offensam metumq; ex istis excusavit,ne ipse Actaq; quid detrimenti acciperent, si librum, absq; præconiis [uti præse ferebat] atq; comendatione non recensendum, meritis laudibus comendassent. Atq; post novissimam historiæ P. W. editionem Virum societatis hujus, quamvis non scriptis, famâ tamen eruditionis [raro exemplo & fermè inaudito] suo jure maximè illustrem cùm de Præfatione postremæ, quam diximus, Editionis in senatu referretur, aliquantum ægrius tulisse silentium istud nobis compertissimum est.

Superest [quod ipsi mihique gratulor] adhuc Menneckenius, cujus sanè si modestiæ considerem,ne falsi publicè argueret talia jactitantem, vererer tamen atque formidarem conscientiam viri, vanitatem audaciamque secreto privatoque aversaturi odio atque contemptu.

Istud insuper adjicere potuerat Bonamicus noster, etiam, quæ nuper admodum sui copiam fecere, *Amœnitates* nostras *S. Scripturæ*, ne isto quidem dignas honore habitas esse. Ast omisit illas Bonamicus, sive ipsi adhuc incognitas, sive pro sua æqvitate agnoscens, non ad nos Stylive nostri obscuritatem, sed ad Autores [omnium qvidem, quotquot orbem Christianum scriptis suis

eru-

erudivere atque excoluere, præstantissimos] pertinere neglectum istum. Et forsan Præfatione, quam memoravimus, offensi Collectores hoc animadversionis modo, quicquid istud erat, vindicandum, nosque Ceritum in tabulas referendos, suo jure decrevere. Non sanè ex contemptu [quod Bonamicus garrit] ista provenisse, ex recensione aliorum libellorum nostrorum satis honorifica manifestum est. Quin quòd pro modestia atque humanitate sua recensione non planè indignas censeant viri de republica literaria meritissimi opellas, historiâ nostra P. W, atque Comitiorum, aut Amœnitatibus istis, unde cunque æstimes, haud paulo forsan viliores. Neque [quod sciam] Arcana ista ad Acta sua adhuc usque isti retulere. *Cedro* quamvis [etiam judicio nostro qualicunque] imò auro dignissima.

Pro defensione aut excusatione Styli nostri nihil addimus, cujus totam fortè criminationem depravatissimæ [ut nihil acerbius dicamus in hominem, cum quo in gratiam amicitiamque post offensam istam jam pridem rediimus] interpretationi *confessionis nostræ Styli aliquantum difficilioris* debemus. Istud tantùm adjicere liceat, post istam, atque illa ipsa occasione, viros honore atque eruditione claros literis partim ad nos scriptis tanquam Latinitatis haud satis gnaros arguisse, qui de obscuritate Styli nostri conqueri auderent. Et [quantumcun-

que fremat aut debacchetur Bonamicus noster] si non elegans, casta tamen [quantum per materiæ conditionem licet] nostra Latinitas est.

p. 15. Qvæ de *Vinariensi pulveri Scholastico in nutrito, librisque immortuo* adspergit, inepta sunt, neque talia, quæ locum habeant in hominem, qui pulverem Scholasticum non nisi per pueritiam atq; adolescens dicendo tantum contraxit; & cui aularum ministeriis per maximam ævi partem adhucusque addicto, librorum non nisi secundam esse curam licuerat.

p. 4. *Fallaces blanditias, mellitos globulos, sesamo atque papavere condita verba, adulationumque Syrma*, qvo autorem Arcanorum inspeciem demulceamus, suo ex ingenio, improbo scilicet atque maligno, comminiscitur atque exprobrat Bonamicus. Ast qvo operæ precio istis demulceremus Auctorem, fato suo jam pridem defunctum? Verum enim verò ideò id à nobis factum criminatur, *ut quæ una concesseramus manu, alterâ cum fœnore repeteremus.* Ast verò sinceri potius Scriptoris, nullo sui affectu, nullis partium studiis corrupti argumentum est, ita laudare, ut ne nævos quidem dissimules; id qvod gentium literatarum more, (nullo ordinum discrimine) cuique inquenquam, suum intra modum licere, notissimum est. Est quidem in Aulis *pessimum inimicorum genus laudantes.* Neque rem publicam literari-

rariam ab ista immunem esse labe, affirmare ausimus. Ast constant ista animo; cujus ex sententia atque seriò, non pravo consilio auctorem *Arcanorum* laudavimus, atque laudabimus porro; queis historiam nostram à juvene ad huc, nondum triginta annos nato, conscriptam post haberi, neutiquam putamus nobis esse ignominiosum. Et quamvis in civitate literaria non iis, quos natalium aut dignitatum diversitas facit; distinguamur ordinibus, quis tàmen non hic etiam veneretur fortunam Præsulis, pro Germaniæ more, Principatu tantò supra sese eminentiorem. Cum quo de palma contendere hominem nostræ conditionis, quantumvis eruditionis suæ celebritatisque [de nostra planè nihil est, quod dicamus] conscium arrogantiæ foret, hominibus etiam sui ordinis vix tolerandæ. Et mallemus, non eò usque nos perduci, qua asserendæ nostræ existimationi, historique nostræ cum Arcanis tanti Auctoris comparandæ nobis injungeretur necessitas; cujus solius dedimus honori, ut omitteremus nunc defensionem eorum, quæ de istis aliquantum molestiora Epistolâ nostrâ, quem ista ferirent nescii, dixeramus.

Non equidem nostrarum partium, non facultatis nostræ est, rimari altius atque scrutari abditos Principis sensus, aut anquirere causas Arcanorum, non nomine, non tempore suo, dum ipse viveret, publican-

do-

dorum. Sunt sanè in istis, quibus apud maximos Religionis suæ Proceres exiguam sese initurum perspiciebat gratiam. Neque est, quod ab Editore exposcamus rationem, cur ne is quidem autoris nomen operi, Autore suo neutiquam indigno, adjecerit. Ast tamen nobis quoque vitio verti non debet, si talem esse, qualis in Præfatione ferebatur, non illicò affirmanti credidimus. Cui (auctori inquam) ipso in aditu (Inscriptionis) adjecta A A. non sanè videbantur talia, & ne nunc quidem videntur & ne videri quidem possunt, qvæ cuicunque equestri saltem loco nato, nedum tanto Præsuli congruere censeri possint, isti præsertim, qui ne is ipsus fortean sit, fermè sub vereri incipimus. qui tamen; si is est aliis utique literis designari debuerat. Et quis putasset aliquot demùm lustris post obitam ab Auctore mortem Arcanis istis in publicum prodeundi copiam factam Et quis neget, tantis ex causis nos reddi excusatiores? Et verò ipsum, si super esset ad huc, aut rerum nostrarum ad ipsum usque pertingeret sensus atque notitia, ausui nostro qualicunque qvàm fœdissimis Vindiciis sperare liceret multo ignoscentiorem; indignaturum, causam suam tàm illustrem, tantâ scommatum protervlâ tanta inprobitate conviciorum, tàm obscœnâ verborum petulantiâ actam defensamve fuisse.

Statueramus equidem, nihil nunc referre

ferre eorum, quæ ad hiſtoriam noſtram ſpectant, cum *Arcdnis* collatam. Sed tamen ſpe atque voto inducti, hiſce ipſis totà reſponſionis perfungi nos poſſe moleſtia, pauciſſima adjiciemus. Dixeramus; non etiam noſtræ de eſſe hiſtoriæ, rectiùs, curatiùs, uberiusque tractata, *lejunè* id nos *garrire*, exprobrat Bonamicus. Excipit tamen ipſe Excellentiæ Electoralis *certamen*; rem utique haud exigui momenti, atque plurimorum inter Electores atque Principes diſſidiorum, jurgiorum, imò & malorum Germaniæ cauſam atque materiem. Addere nobis (Bonamici cum pace) atque in cenſum iſtum referre liceat, quæ de Evangelicis (etiam in cauſa *Gravaminum*) diſsidentibus invicem, atque in *Zelotas*, *Remiſſos*, atque *Medios*, diviſis, de cauſa Exulum Auſtriacorum, auro Cæſareorum (ne ſueci porro inſtantius eam urgendo moleſti eſſe pergerent) redemta de Electoratu novo atque ſuper numerum conſtituendo (poſtrema equidem demùm Editione) habentur, ſi non longius, explicatius tamen, atque ad pernoſcendum, quorum ea in re ſuffragii dicendæque ſententiæ jus ſit, diſtinctius. Qua equidem in re ipſos M. nobis ſperare par eſt faventisſimos. plura uon addimus. Redeunt enim in memorium Agyrtæ Auguſtani, atque fœdisſimum iſtud de præſtantia mercium, publico inforo certamen. Atque iſta ad fidem verbis noſtris

p. 8.

H. P. W. III. 57. – 60.

V. 29. 30.

V. 65. - 69

faciendam sufficient. Neque plura etiam provocati adferemus. Et nostri potius officii est, tanti Præsulis venerari majestatem, atque si quid in eum ab ignorante irriverentius dictum, deprecari, atque expiare publicâ pœnitentiæ professione (tanqum Exomologesi quadã) crimen quantumvis à nesciente admissum, quàm propugnando aut operosiùs excusando augere atq; extendere.

Et jam penes Bonamicum est, nostra hæc silentii generositate ulcisci, de reverentia nostra in Autorem Arcanorum nunc certior; cujus *monumentum æternitati suspensum* jure suo atque merito *perennaturum*, ne ipsi quidem dubitamus. Et optarem, ipsum Bonamicum non istam respondendi necessitatem nobis extorsisse. Consultius certè honestiusque fuerat ipsi Bonamico ab calumniis & conviciis, omnem sanè humanæ acerbitatis modum supergressis sibi temperasse. Et si vel quantulæcunque dignitatis, imò honestatis aut verecundiæ est, vix eò usque duraturam illius impudentiam arbitror ut nomen publicè profiteatur, neque vereatur notam rei turpissime gestæ.

p. ult.

Cæterum habeat is *abjectissimi Alastoris, Necromastigis, Sycophantæ*, & si quæ alia hujus modestiæ sunt, habeat is, inquam, servetque sibi, aut alios in usus recondat vocabula, evanida in virum bonæ integræque famæ jacula. Et quicquid is porro agat moliaturve, fixum nobis atque immotum est, silentio neglectuque nobis consulere, ipso hoc specimine expertis, qvàm arduum, imò impossibile sit, modum in respondendo tenere, disciplinæ Christianæ congruentem, tantis provocato contumeliis; ut adeò in potestate nostra magis, nobisque facilius sit, tacere penitus, quàm in respondendo non limites, homini Christiano constitutos excedere. Nobis denique talium pertæsis, atque ad pacem animique quietem ardentissimis votis tendentibus, non consultum tantum, sed necessum etiam est, inimicitiis, tumultibus, atque pugnis abstinere, neque ultra θνεκομαχεῖν.